



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Orationis continuus vsus qui obtineri possit, & quænam septem in Christi
vita & passione meditanda sint. Epist. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Sensibus
qualis custo-
dia adhiben-
da
Hier 9.
Gen 3.
Tuten. 3.
Cor quam
caute custo-
dicandum sit.

penitus extinguit. Scis tu ipse quod tunc perditionis nostrae causa praecipua fuerit, quod Eva incaute intendit oculos in lignum veritum, cuius delectata pulchritudine, citius illecta est ad carpandos edendosque fructus eius. Inde etiam est illa lamentabilis Prophetae vox: *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Aures quoque & reliqui sensus debent in officio contineri, ut ad eos tantum vius accommodetur, qui apertae salutis conferat. Porro cor ipsum in primis studiosissime seruandum est, ne inutilia, maxime vero ne noxia cogitet. Huc non parum confert perpetim animo affixa retinere verba haec Dominus videt. Ob cuius praesentiam & intuitum in omnibus semper & ubique etiam quando solus es, sis timoratus, maturus, innocens, pudicus, & corde purus, atque erga illum reuerenter te geras. Siquidem oculi eius penetrant medullas intentionum cordis tui.

Orationi ut
iugiter infi-
stendum.

Quinto, orationi continue vacare discas, assuefaciendo te ad breues flammigerasque preces, te & alios commendando & resignando in diuinum beneplacitum, atque ad ipsum aspirando. Haec quinque ob honorem quinque valuerunt Christi obserua, & Deus illuminabit te, ducetque ad maiora. Vale frater & fili charissime, Deumque pro me exora.

*Orationis continue vsus qui obtineri possit, & quam septem in Christi vita passio-
neg, meditanda & obseruanda sint.*

Epistola XXI.

F. IOANNES IUSTVS LANSPERGIUS CARTHVS.

N. suo praedilecto confratri salutem dicit.

Luc. 18.
1. Thes. 5.
Vt quis sem-
per oret.
Luc. 12.

Dominus noster Iesus Christus confrater charissime, admonet nos semper orare, & non deficere, Apostolus quoque *sine intermissione* inquit, *orate.* Hoc quidem possit impleri, tamen si non continue quis ore preces ad Deum fundat. (Neque enim quomodo litera sonat sacra scriptura, aut in sensu quem verba faciunt, sed in sensu in quo fiunt debet intelligi.) Impletur autem dum sic viuendo vniuersisque satagit, ut suis sanctis orationibus, suis postulationibus, mors sui non contradicant. Verbi gratia. Orans pro paupertate spiritus, si non cupiat thesaurizare super terram, sed in Deum diues fieri: licet ei quoque temporales diuitiae non desint iuste acquisitae, hic semper orat, quamdiu huius sanctae beatitudinis in eo desiderium perseverat. Pari modo sentiendum de cunctis alijs virtutibus: quarum quamdiu desiderium in homine perseverat tam diu etiam pro illis ad Deum eius oratio perseverat. Potest tamen, fateor, homo per studium aspirandi ad Deum ad hoc assuescere, ut quotidie orans mente, vel pro se, vel pro alijs ad Deum, nunc quidem gemendo, nunc optando, nunc gratias agendo, nunc se commendando, nunc sese offerendo aut resignando, nunc etiam malum deprecando. aliquando Deo & sanctis, aut etiam proximis coram Deo gratulando, item miseris compatiendo, & suas vel alienas arumnas coram Deo exponendo, modisque huiusmodi innumeris ad Deum mente ac spiritu loquendo, tandem ad tantum orationis, praesertim mentalis, usum consuetudinemque veniat, ut cum Deo omni in loco non aliter quam cum homine loquatur, nihil secum solo, sed omnia cum Deo

Quo pacto
possit quis
semper cum
Deo consue-
tudinem ac-
sequi.

Deo, id est, quicquid agendum actumue sit, pertractans. Ad hoc mentale orandi exercitium summopere hortandi sunt pii ac Deo deuoti homines, propterea quod magna virtus, fructusq; multi proficientis vitæ in eo contineantur. Neque enim oratio mentalis distractionem cordis, vt vocalis, sustinet. Et qui mentaliter orat, totus orat. At qui vocaliter orat, aliud potest proferre ore, aliud mente cogitare.

Mentalis oratio quantas habet comoditates.

Itaque optimum orandi genus est, se ad mentalia desideria exercere, sancta cogitare, meditariq; actus, virtutes, passionestq; vitæ Domini nostri Iesu Christi. Quæ vt breuiter licet multa complectamur, consideranda est Christi vita, in qua septem contingit meditari.

Optimum orandi genus quod sit

Primum, incommoda eiusdem corporalia propter nos suscepta, vcluti sunt, fames, sitis, æstus, frigus, corporis fatigatio ex itineribus & laboribus prædicandi, atque huiusmodi alia. Quæ homo meditari solitus, aut seipsum cogitur reprehendere, aut cor rectiorem vitam instituire, aut gemere pro sua multitudinis comparata erga Christi vitam, aut Christo agere gratias, aut frequentioribus desiderijs æstantioribusq; pro gratia imitandi conformandiq; se Christo supplicare. Vnde fit continua iugisq; oratio.

I Septem in Christi vita meditanda.

Alterum est, eius fides & charitas ad animarum salutem, qua nihil eorum omisit, quo vel animam vnã conuerteret. Inde fuit, quod nulli labori pepercit, nulli fatigationi, orans, per noctem vigilans, per mundum discurrens, prædicans, affabilem se præbens, & manducans cum peccatoribus, curans infirmos, atq; miraculis suæ prædicationis veritatem comprobans. Demum cum esset ex hoc mundo discessurus sacramentum in quo est vsq; ad finem consummationemq; seculi nobiscum mansurus, in cibum ac potum ministrans, atq; nouissimè omnium post tam dira supplicia passionum, post crucis pœnas & dolores, nudum, vulneratum, ac inter latrones suspensum sese Patri per ignominiosam atq; durissimam mortem pro nobis in præteritum nostræ redemptionis offerens. Hæc bene ac sæpius meditata, necesse est vt verecundiam ingrætitudinis suæ homini ingerant, feruoremq; ac deuotionem, vnde multi gemitus, multa suspiria, multa desideria, aspirationes, ac cordis preces generantur ad Deum.

II

Tertium est, quæ meditanda sunt virtutes actionesq; Christi, quam spiritu pauper, quam humilis, quam mitis, quam benignus ac misericors, quam denique iniuriarum patiens, delictorum immemor, atq; omnium ad se accedentium poenitentium non aliter atque pater occurrit & susceptor fuerit. Quibus omnibus se præbuit nobis in exemplum, instituens nos, quomodo oporteat Christianum viuere. Siquidem qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulare & ipse ambulare. Eam ob rem excitentur oportet in corde meditantis desideria de conformandi Christo indeq; gemitus quod post tam frequentes lapsus, post toties iteratum propositum, post multiplices conatus, post deniq; inuocationem diuini adiutorij, tam crebrè solitam est experitus & experitur quotidie infirmitatem, instabilitatem, negligentiam, concupiscentiam suam fallacem. Experitur quoq; quam prorsus nihil sit. Idè conuenit habet & rixari secum, & aduersus se, idè non secum solo, sed coram Domino, per modum colloquutionis & verecundæ humiliationis sui vt hæc rixa non desperationem vel pusillanimitatem generet, sed maiorem fiduciam.

III

Quid Christus nos docuerit vitæ suæ. I. Ioan. 2.

Vt homo de se coram Deo conueni debeat



ciam, quo non in aliquo suo proposito, vel merito habet vbi confidat aut quiescat, sed in nuda solaq; Dei miseratione & pietate.

IV

Quartum est, multiformitas opprobriorum, detractionum, ignominiarum, despectionum, contradictionum, iniquarum accusationum, contumeliarum, blasphemiarum, confusionumque, quam propter te sustinuit. Vnde vocatur filius fabri & Mariæ per contemptum: Item auidicus peccatorum publicanorumq; vorax, potator vini, insanus, daemon habens, Samaritanus, seductor populi, legis transgressor, blasphemus, & alia id genus multa. Nudatur, conspuitur, palmis cæditur, latronibus sociatur, immò latro illi præfertur, puta Barrabas, cui pessimo licet vita à Iudæis redimitur, dum Iesus innocens ad crucem postulatur. Denique qui forma fuerat speciosus præ filijs hominum, tam vilis tamq; efficitur turpis, utpote cuius facies illita erat sanguine, sputis, & liuore atq; tumore ex alapis & verberib; susceptis, vt neque humana species, neque decor esset in eo. Vnde *vilimus* (inquunt) *eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, tanquam leprosum & percussum à Deo, ac humiliatum.* Quapropter autem cum Iesus ita deformis esset ex passione, educendus ad Caluariam, suis reinduitur vestibus, Iudæis id procurantibus, quo vel inde cognosceretur à populo & despiceretur, quasi qui mendax & seductor latronumq; princeps, utpote in medio suspensus foret inuentus.

V

Quintum est, varietas pœnarum, dolorum passionumq;, quam pertulit ab hostibus. Quippe qui colaphis, alapis, flagellis, spinisq; cruciatus, post multas tandem pœnas alias crucifixus, tribus horis tribusq; clavis in alto suspensus, & interna consolatione paternâ destitutus, atque humanæ infirmitati derelictus, sub aridissima siti, cui nemo erat qui pauxillum aquæ præberet, acerbissimam mortem sustinuit.

Psal. 68.

Ioan. 19.

VI

Dolores

Christi in-

tenti.

Sextum est interiorum dolorum & tristitiarum enormitas. Siquidem pro omnium & singulorum peccatis doluit, præ compassione nostri aliquoties fleuit, instante passione omnia quæ sibi erant futura ac sustinenda per immunitatem Iudæorum singulatim in corde præiudic, tractauit, atq; suo modo animo præsensit, dolens tantam passionem, tam paucis, quæ pro omnibus sufficiebat, ob ingratitudinem ipsorum pro futuram: doluit dānandorum impietatem & cæcitatē: doluit Patris sui irreuerentiam ex peccatis hominum: doluit quoq; tam grande enormeq; peccatum futurum, quo filij Dei mundus erat occisurus: postremò pro matre sua doluit in anima vulnerata: item pro corpore suo mystico, id est, Ecclesia, cuius membra electa multa pro suo nomine erant passura. Doluit autem & tristabatur, quia voluit. Neque enim sufficiebat lux ad nos charitati exterior passio in corpore ab alijs sibi illata, sed voluit etiam intus torqueri: quia voluit nos non potestate, sed iustitia redimere. Idem licet vna alapa aut sanguinis gutta pro nobis suffusa, propter diuinitatis suæ maiestatem atque excellentissimam dignitatem ad nostri redemptionem sufficeret, non tamen hoc modo redimere nos voluit, sed æquitate æquiualentiaq; passionū internarū & externarū peccatis omnibus vniuersi mundi commensurata ac debita, perinde ac si omnia peccata mundi in vna lance statera posita fuissent, in aliam lancem tot pœnas à se tollerandas ponere voluis, quantas & quot peccata illa diluenda exigerent secundum iustitiam & æquitatem.

Car Domini Iesus in ternos voluit dolores perpeti.

Septi-

Septimum est, vulnerum multiplicatio, & pretiosissimi sanguinis sui effusio. Ad eum enim repletus est vulneribus, ut à planta pedis usque ad verticem capitis non foret in eo sanitas: sed per totum corpus aut liuor, aut plaga tumens, aut vulnus erat. Sanguinem etiam ad eum abundanter effudit, ut cruce[m] terramq[ue] rigaret, & ubicunq[ue] iuisset, vestigia post se cruenta reliquerat. Hæc diligenter omnia meditata, compunctionem generant cordis, compassionem excitant, desideria eliciunt se Christo conformandi. Ex his multiplicitas occurrit mentalium orationum, unde paululum quis exercitatus affuecet, ut vita eius nihil aliud sit, quam iugis oratio. Hæc breuiter collegi & in vnum contraxi, quandoquidem alijs estis etiam occupatus, licet sperem aliquando futurum ut reiectis omnibus temporalibus curis in alios, vacetis orationi & lectioni tantum, omne tempus beneplacito Dei ad eiusdem gloriam locantes. Potestis has septem meditationes quotidie, quasi pro septem horis canonicis frequentare, & mentis renouare deuotionem. Quam si sensibilem etiam non recipitis, nihilo minus ab exercitio vestro non desinat. Neque enim in sentimentis huiusmodi æstimatur perfectio deuotionis, sed in prompta voluntate, quæ se tradit in Dei cultum & honorem, parata etiam omni sentimento carere, & nihilo minus vel sicco aridoq[ue] corde Deo seruire, quam diu sic Deo placet. quandoquidem nihil potest homo habere, nisi quicquid dederit Dominus. Patienter longanimiterg[ue] ipsum debet expectare, resignando, committendo, atque credendo se diuinæ providentiæ, eiusq[ue] beneplacito plena confidentia: fiat, fiat.

Et ob deuotionis sensibilibus inopiâ non sint bona exercitia deferenda.

Ut ad solennem professionem monasticam, is qui à se mundum abdicauit, preparare, seq[ue]nter Deo viuere, instar sponsi & sponse: seculo, sibi ipsi quoque mori debeat.

Epistola XXII.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS.

filio suo charissimo N. quotidianum in spiritualibus profectum.

Fili charissime sub missa conuentuali, qua es professionem facturus, quantis potes gemitibus & desiderijs te ipsum excita cupiens, ut virgo desponsanda mundus atque deuotus inueniri in oculis sponsi, cupiens amari à sponso, cupiens eidem placere, cupiens non sperni ab eodem aut proijci, sed in eius oculis inuenire gratiâ & acceptari. Iuxta hæc formes tibi varias aspirationes ad Deum, puta huiusmodi: O Domine Deus meus, utinam dignus per te fiam hodie tibi considerari atque desponsari. Complaceat tibi quæso in me nudo, paupere, sordido, misero & miserabili: quæ cõplacet mihi in te optimo, nobilissimo & amabilissimo, & ex toto corde desidero te. Dulcis Iesu quis est qui meas mihi auferat sordes, qui mundet me, qui dignum me faciat tibi ut coniungar, nisi gratia tua? Quid nos fateor Dñe vilitatē meā, fateor q[ue] magnitudinē, altitudinē, omnipotentiam & efficit nobilitatē tuā, sed cõfiteor nihilo minus laudo, prædico & extollo benignitatē & misericordiam tuam, qua non spernis preces pauperum, qua facis mundum de immundo conceptum semine, qua peccata non improperas, qua lob 14. ficut